



V, 82.

2.417a



CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
**HERMVNDVRORVM**  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. XII

VT  
**FRIDERICI. FRIDERICAE. Q**

AVGG  
PATRIA. PARENTVM. OPTIMORVM

NOMINALEM  
POSTRIDIE. IDVS. MARTIAS. A. R. S. CIC15CCLVII  
DEBITA. PIETATE

IN  
ALBERTINOFRIDERICIANO  
PRIVS. QVAM. INDE. IN. ACADEMIAS. DISCEDANT  
CELEBRATVROS. TRES

BENEVOLE. AVDIENDI. CAVSA

CVRIA. PROCERES. CIVES. Q  
QVO. DECET. CVLT. EAT. CONVOCATVM  
CVRIANI. RECTOR

**PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS**

A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS

---

CVRIA. REGNITIANAE  
LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII  
GYMN. TYP

МАИАНА ДИА

Pars posterior.

QVID DVRVM IN HERMVNDVRIS?

Quid ista, quae hac tenus conquisiui, ad *Hermunduros*, fuerint, qui quaeſuerint, ni forte vitio verterint, in istam vocem interpretandam non nihil temporis et chartae me impendisse, legant, quae iam in medium ponam, et se cum reputent, an non quidquam conferant ad nationem istam propius noscendam. Id iudicium redditurus facilius ſeimel *adplicabo*, quae parte priori huius ſecundae intersectionis in enodando iſto DVR collocaui, deinde remouebo, quae huic nihil facere videantur.

Numerus I.

QVID DVRVM IN HERMVNDVRIS SIGNIFICET?

Index dictorum.

§. I. Num <i>mare</i> ?	§. V. Cuiusnam?
§. II. Num <i>flumen</i> ?	§. VI. Num <i>transitum</i> ?
§. III. Num <i>ripam</i> ?	§. VII. Num <i>ianuam</i> ?
§. III. Num <i>aquam</i> ?	§. VIII. Num <i>turrim</i> ?

§. I.

Tribuit Tacitus 1.) *HermundVRORVM ciuitati* cum Romanis *commercium non in ripa*. Qualis haec *ripa*? Num *maris*? Non defunt quidem veterum neque imae caueae scriptores, 2.) qui de mari adhibent subinde. Quodnam autem mare inferuierit huic *commercio*? Executias omnes *HermundVRORVM latebras*, nec villam inuenies in maris alicuius ſinu. Sequere quoſcumque ad eos duces; 3.) nullus eorum ad *mare* ducet. Et quodnam *mare* ambit Germaniam, cuius pars *HermundVRORVM terra*? Respondet idem Tacitus: 4.) *Oceanus*. Interpretare eum ſive de Britannico, ſive de Germanico, ſive de Suelico, plura enim eius genera Germaniam adluere haud memini legiſe apud iſtius aetatis geographos, 5.) neutrum

1.) German. ſuae Cap. XXXXI. n. 1.

2.) Quorum praecipuos ut conuocem, ferias fecit Celeberrimus Gesnerus ornamentum Georgiae Augustae in Thes. Rom. v. *Ripa* Tom. III. p. 217. ante quem iam aliquot conuocauit Doctis. Wesfelingius ad Itinerar. Hierosolymit. p. 582.

3.) Quos in aciem eduxi huius de Hermunduris libri Cap. I. Sect. II.

4.) Cap. I. n. 3. Germaniae adlegatae.

5.) Cuius cauſa euoluifle iuuabit Cluuerium Germ. Antiq. Lib. IIII. Cap. XXXVII.

.neutrūn tamen contigerunt HermunDVRI, quippe quibus in splendidissima Raetiae prouinciae colonia commercium, quae non maritima sed mediterranea. 6.) DVR igitur in HermunDVROVRVM nomine non mare, quod quidem in quibusdam vocibus, 7.) significat.

## §. II.

Nec vñquam Cornelius per Germaniam suam *ripa* de mari sed de *fluvio* vñs fuit, quoties quidem ista vox ab eo fuit adhibita, 1.) de more accuratisimi cuiusque veterum, 2.) vt Melae, 3.) Caefaris, 4.) Lucretii, 5.) Virgilii, 6.) Horatii, 7.) Ouidii, 8.) Valerii

S 2

Flac-

6.) Ut paullo post §. VI. liquido adparebit.

7.) Vide P. I. huius Interseccōnis §. V. Et Britanniae vrbs DVRham forte ex eo dicta, qui haud procul a *litorē maris septentrionalis*,

§. II. 1.) Vt Cap. III. n. 3. Cap. XVII. n. 3. Cap. XXIII. n. 2. Cap. XXVIII. n. 2. Cap. XXVIII. n. 1. Cap. XXXVII. n. 2. iam nota 4. ad §. III. Cap. I. Sect. I. Int. I. huius de Hermunduris tractationis conscriptis, quibus addas ex Hilt. Lib. III. Cap. LXIII. n. 6.

2.) Obseruante Ciosano ad Ouid. Met. Lib. I. vs. 24. Conferas Bentleium ad Horat. Epop. II. vs. 25.

3.) De Situ Orbis Lib. III. Cap. VIII. non X. quod ex incuria operarum sine dubio in laudato Thesauro Gesneriano.

4.) De Bell. Gall. Lib. VI. Cap. VII. n. 5. Thesaurus Gesnerianus habet VI. Caput perperam.

5.) De Rerum Natura Lib. II. vs. 362. et Lib. V. vs. 257.

6.) Bucolicorum Ecl. III. vs. 94.

Ecl. VII. vs. 12. et 52. Georgicorum Lib. II. vs. 414. Lib. III. vs. 15. 144. 430. 555. Lib. IIII. vs. 23. 121. 459. 527. Aeneidos Lib. I. vs. 498. Lib. VI. vs. 305. 314. 319. 327. 375. 410. 674. 712. Lib. VII. vs. 33. 106. 201. Lib. VIII. vs. 57. 63. 240. Lib. VIII. vs. 105. Lib. X. vs. 114. Lib. XI. vs. 299.

7.) Carminum Lib. I. Od. II. vs. 19. Lib. III. Od. II. vs. 6. et 31. Epop. II. vs. 25. Sermonum Lib. I. Ecl. I. vs. 58.

8.) Metamorphoseon Lib. I. vs. 39. 42. 639. 640. Lib. II. vs. 411. 250. 252. 371. 637. Lib. V. vs. 591. Lib. VI. vs. 399. Lib. VII. vs. 228. Lib. VIII. vs. 552. Lib. VIII. vs. 117. Lib. XIII. vs. 427. Lib. XV. vs. 277. 733. Fastorum Lib. I. vs. 505. Lib. II. vs. 222. 465. 595. Lib. III. vs. 651. Lib. III. vs. 468. Lib. V. vs. 640. Lib. VI. vs. 776. Amorum Lib. I. Eleg. XV. vs. 34. Lib. II. Eleg. XVII. vs. 31. Lib. III. Eleg. VI. vs. 1. 19.

Flacci, 9.) Sili Italici, 10.) Ciceronis, 11.) Quintilianii, 12.) Suetonii, 13.) Plinii, 14.) Appuleii, 15.) aliorum. DVR autem priscis frequentatum ad modum pro locis flumini adpositis, 16.)

## §. III.

Ast enim vero Cornelius Tacitus 1.) pronunciat, fuisse HermundVRIS commercium cum Romanis non *in ripa*, sed *penitus*. *Tō* non obponit *sed*. Hoc vulgo est particula aduersativa. Ita Cornelianorum verborum emerget hic sensus: *HermundVRIS nequaquam et plane nullum in ripa cum Romanis commercium*, quin potius tantum *penitus*. Secus placuit subinde optimis quibusque veteris Latii. 2.) Sed non semper omnia alia innuit, quam quae non praefert, quin *vtrumque fortius adfirmet*. 3.) Si dicendum, quod res est, est Ellipsis *roō modo*, solum vel tantum iuxta non et *roō et vel etiam iuxta sed*. Hinc istorum verborum haec vis: *HermundVRIS non tam siue tantum modo in ripa commercium*, quam potius *penitus*. 4.)

## §. III.

9.) Argonaut, Lib. IIII, vs. 402.  
10.) Punicorum Lib. IIII, vs. 85.  
11.) In Bruto Cap. LXXXI.  
12.) Institutionum Oratoriarum Lib. XII, Cap. II, p. 1059, Ed. Burmanniana.

13.) Caef. Cap. XXXII. Aug. Cap. XXV, et C. Tib. Cap. VIII.

14.) Lib. IIII, Epist. II, n. 5. Lib. VIII. Epist. VIII, n. 4. Epist. XVII, n. 1. Lib. VIII, Epist. XXXVIII, n. 5.

15.) Metamorphoseon Lib. VI, p. 121. Ed. Priceanae.

16.) Quod colligas ex iis, quae priori Interfectione paullo ante invnum coegi.

§ III. 1.) Saepius nominato Capite XXXXI. libri de Situ, Moribus et Populis Germaniae.

2.) Quorum magna exemplorum

nubes in Commentariis Dukeri ad Flor. Lib. II, Cap. II, n. 20. Cortii ad Sallust. Iug. Cap. XIII, n. 23. Arntzenii et Schwarpii ad Plin. Paneg. Cap. VIII, n. 1. et meo ad Plin. Epist. Lib. X. Epist. LXVI n. 2.

3.) Quod ne accuratisimus Gesnerus in Thesauro Linguae Latinae siue sub *Non siue sub Sed*, quoad ego vidi, moneret, qui factum, dicere nequeo.

4.) Ut etiam intellexerint Mieylus, Grotnitius et Iablonski Tacitum vestre Germanica induentes, item Mollerus Theatr. Freib. Chron. Sect. I, Cap. II, extr. Schmidius Chron. Cygn. P. I. Sect. I, Cap. III, p. 11. Gen. de Falkenstein Antiq. et Memorab. Nordgau. P. I. Cap. I. §. IIII, p. 4. Haufius et Vetterus ad h. l.

## §. III.

Ad ripam se se refert aqua. Quae autem regio magis abundat aqua, quam HermundVRORVM? Vel a latere HermundVRORVM 1.) mons Pinifer, ut vulgo audit, clarus est 2.) fontibus quatuor fluminum Germaniae interioris haud postremorum, Salae, Egrae, Nabi et Moeni. Quid? quod his longe maior Albis in HermundVRIS oritur. 3.) Et quot numeres riuos, fluios, flumina HermundVRORVM terram usque quaque dissecantes, quo plures valles efficiunt montes eius frequentiores? 4.) DVR autem maioribus nostris aquam indicabat, 5.) siue id ex Graecorum 6.) τΔΩΡ, quod his aqua, siue ex Germania graecisante. 7.)

## §. V.

Iam, inquies, quot non gentibus nasceretur nomen DVR, si a flumine? Quae enim regio adeo secunda, quin ab aliquo fluiuolo, ammeriuoue rigatur? Ita est. Verum tamen flumen praeceteris maius vicinis pariat aliquam differentiam. Quodnam autem Danubio maius, qui HermundVRROS praeterfluebat? 1.)

## §. VI.

Hanc transeuntibus HermundVRIS fuisse commercium in splendidissima Raetiae prouinciae colonia, testatur Tacitus. 1.) Quaenam haec Ractia? Ea faepe distinguitur 2.) a Vindelicia, 3.) ita ut Aeno et S 3 Athesi

1.) Quod infra Cap. III. Sect. I.  
Int. I. P. I. §. IIII. patebit.

2.) Ut et hoc.

3.) Si diis placuit, ut placuit Taceito Cap. XXXXI. extr. in cuius auctoritate vindicanda totus fuit Schoettgenius in Spicilegio Diplomatico Hist. Sax. Super. P. I. N. I. §. VII. p. 11.

4.) De quo paullo post N. II. §. II.

5.) Si vel memineris §. V. prioris partis huius Interfectionis.

6.) Ut videtur voluisse Casaubonus de Quatuor Linguis P. I. unde id in Lipsiam Symbol. ad Crit. Hist. Ling. Germ. P. XXVII. p. 426, translatum.

7.) Cui ad modum Reizii Belgii Graecisantis iam dudum insudo.

§. V. 1.) Quod probabo infra Cap. III. Sect. I. Int. I. P. III. §. III.

§. VI. 1.) Cap. XXXXI.

2.) Locis veterum a Cluuerio Videlic. Cap III. et Collario Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. VII. §. XXII. indicatis.

3.) Quod praeter istos Dunnuiros obleruarunt Velferus Rer. Aug. Videl Lib. I. p. 184. seq. Spenerus Notit. Germ. Ant. Lib. VI. Cap. II. §. V. et Junkerus Introd. in Geograph. German. Med. Aeu. P. II. Cap. I. §. 2. p. 77.

Athesi perfundatur Italiam propius atque Heluetiam, quae nostratis  
bus Graubunden adpellatur maximam saltem partem. 4.) Sic se tueretur  
*Auguſta Vindelicorum*, quae vulgi adpellatio 5.) istius *splendi-*  
*dissimae coloniae*. Eam enim esse *Augsburgum* vel adhuc celeberrimam  
6.) ad Lici Vindonisque confluentes urbem, iam probauit. 7.)  
Quis vero in Germania adeo hospes, ut nesciat, quam remoti sint isti  
confluentes ab illa *Raetia*? 8.) Ea igitur Tacitus intellexerit 9.)  
omnem tractum, qui lacum Brigantinum inter, Danubium, Aenum,  
Carnos, Venetos et Insubres est, 10.) in quo tractu nihil frequen-  
tius *Rait, Ried pro montanis ex illa præsa superstitibus.* 11.)

## §. VII.

In hac *Raetia transire* nequibant *HermunDVRI*, nisi Danubium  
limitem tun Germaniae traicerent. Iste *transitus* aperiebat iis *ianuam*,  
qua *Raetiam Romanam prouinciam* introirent. Cur ergo non  
inde dicerentur *HermunDVRI*, cum vel adhuc nostratis THVR  
vel THOR significet *ianuam et portam*? 1.)

## §. VIII.

Quam parum autem ab hoc distat 1.) THVRN TVRMUE et  
significatu et scriptura, immo et sono, tam parum distabit, si *Her-*  
*munDVROS* inde dixeris, quod *transituri* in illam *splendidissimam*  
*Raetiae*

4.) Vti definiuit Iunkernus.

5.) Cuius auctores iam nota 9.  
ad Cap. I. Sect. II. Int. I. P. I. §. VIII.  
indicauit.

6.) De qua post Velseni Res Au-  
gustae Vindelicorum et Gen. Paulii  
de Steten Historiam Augustanam  
scripturus iliada post Homerum con-  
deret.

7.) Cap. I. Sect. II. Int. I. P. I.  
§. VIII.

8.) Quod nesciit Grotius istam  
Cornelianam Raetiam per *Grau-*  
*bündische* reddens.

9.) Ut iam ante me viderunt Cel-  
larius paullo ante nota 2. citatus,

Dithmarus ad Taciti German. Cap. I.  
pr. Gen. V. de Steten Hist. Augu-  
stan. Cap. I. §. II. p. 2.

10.) Ut aequo ante me viderunt  
paullo ante nota 3. laudati.

11.) Quod monstrarunt Loesche-  
rus Littera Cel. in Analect. Soc. Teu-  
ton. Lips. P. II. p. 229. excerptus et  
Literatissimus Popovius de Emendat.  
Geograph. ad Societatem nostram  
Cosmographicam p. LX.

§. VII. 1.) Quod docui §. VII. par-  
tis prioris huius Insefectionis.


§. VIII. 1.) Hoc autem §. VIII.  
statim insequente.

Raetiae provinciae coloniam opus fuerit turrim subire, qua ista colonia ad reprimendos hostium impetus munita erat.

Iam qua tempestate prius habeamus pro salute PRINCIPVM nostrorum vota fuscipere, quam hac, quae trucibus acta procellis horrificat turbida? FRIDERICORVM nomen aliquot abhinc diebus in fastis comparens reuocet animos cuiusque nostrum ad grates D. T. O. M. referendas, qui iis consilio suo adsuit, ne nauis rei publicae in syrtes in fixa volauerit. Perobportune accidit, vt eo ipso tempore tres veniam peterent ad altiora progrediendi, id quod faciunt fusculti OPTIMORVM PRINCIPVM munificentia. His igitur partes athenaei totius detuli, vt gratias acturi NVTRITORIBVS CLEMENTISSIMIS fausta quaeque precarentur.

CHRISTIANVS ADAM WEISIVS Ioannis Christophori V. M. R. Reuerendi Capituli Curiensis Seniori et ad aedem Michaelis Archidiaconi Patris optimi funus prosequebatur non dum exacto mense. Nutritum inter mille suspiria tradebat gymnasio patrio anxia ad modum mater pia studiorum adiumentis orbum Deo vniice confisa et in literarum stadio confirmatum ab omnibus, qui Weisianum nomen hic, Altdorfii et Bergae modo Eusebia modo Hygea collustrant luctucentissime. Horum vestigia lecturus haud infelici ingenio pro virili ciuii primi ordinis ostendebat ineunte anno de religionis pace per Germaniam seculari secundum, eo non melius inueniri noua vota fuscipendi argumentum, qui Pridie Calendas Octobres ipsa ista secularia celebrabat aequitatem Iubilaeorum iam Latina, tum Germanica lingua. Naatus est autem vndeque difficultatibus presus amplissimum laudandi campum summi Numinis, quosque excitauit, PATRIS patriae CLEMENTISSIMI, Maecenatum, Patronorum, Fautorum, vel nuperrime alma matre exspirante non deserentium auxilio et consilio adolescentem, qui nulla aerumna pasus est se Musarum consortio abstrahi. Idem non desint in posterum stipendio Fridericiano Fridericianis in castris merituro, vt decet pii parentis *vniuersitatis*.

IOANNES CHRISTOPHORVS HARTVNGIUS Ioannem Georgium V. Nob. praefecture Stokenrodensis ab actis Sparncae peritisime agentem amisit binis fere abhinc annis. Hic noninuita Minerua illum a V. Pl. Reu. Sparncae Pastore Buchnero disciplinae quondam nostrae alumno perquam industrio sollerter praeparatum nobis tradidit a. d. IIII, Nonas Septembres cccccliii. Eius speci-



specimina haud inconcinna publice edidit, quoties Weisius ei adfides daret. Primo inquirebat Latina lingua, quae Augustae Vindelicorum praecipua gloria. Alterum erat vernacula panegyricus dictus FRIDERICO tenebrimo suo in nostram religionem adfectu maiorum suorum pietatem reddenti. Postremo iam in medium consilat, quodnam asylum a furore Maris cum maxime iratoe in rebus humanis omnium turisimum, ipse tale in aliae Fridericianae amplexu sperans illic sub signis diuinis militatus acerime.

**CHRISTIANVS FRIDERICVS KOEHLERVS** Nicolao V. Nob. Koeniti Thuringorum Cantore Indefesso gaudet parente, gaudeatque diutius, percipit, quo nouem fere ante annos in Curiani alumneo, quod tot egestatis fluctibus iactatis portus adhuc fuit tutus et tranquillus, coepita et pertinacissima urbanioris notae industria, quam in publico doctorum virorum confessu de religione veterum Germanorum Latina oratio et carmen Germanicum de communibus Germaniae turbis ante pacem de religione initam exhibuit cum laude, continuata absoluta lenae ope paterna, qua ad exemplas probi sacrarum literarum studiosi partes longe inferiori est, quod sibi gratuletur, Virum Excellentissimum atque Perillustrem Adamum Gottlobum de Schoenfeld Romanorum Caesaris et Margrafi Brandenburgicoculmbacenfis Consiliarium Intimum ei conciliasse mensam Amthorianam. Exteros autem tam beneficos expertus, meliusne in patria an extra eam studendum, vernacula prorsa dubitabit, aequa ac vernaculari gratiarum actionem vorsa subiunget. Quanta habet speranda ab Serenissimo IOANNE FRIDERICO Rudolphopolitanorum deliciis Principe sibi Clementissimo Musageta tam Conspicuo?

Ego vero, qui nemini inuideo coenam lautiorem, sicubi mihi ex re literaria adponitur, praelibabo quaedam de quinquaginta ferme diplomatis, quae Helvetia itorum ipso Heluetio Cel. Scheuchzero fatente iusto parcior mihi nuperime praebuit, aliquot seculorum retro eorumdemque sigillis non vbiuis obuiis, dum sedator patriae tempestas fuerit ea publicare integra, et inde spicilegium ad Cangii Lexicon Mediae et Insimae Latinitatis instituere aliquot centum vocum.

Tum comitabor illos more maiorum paternis admonitionibus, quibus respondebunt, si se suosque amant.



Yb 4473

KD 18

ULB Halle  
006 302 904

3



2c





**CVRIAM  
REGNITIANAM  
NON. NVLLO. IVRE  
HERMVNDVRORVM  
COGNOMINANDAM  
DISSERIT. XII**  
 VT  
**FRIDERICI. FRIDERICAE. Q.  
AVGG  
PATRIA. PARENTVM. OPTIMORVM  
NOMINALEM  
POSTRIDIE. IDVS. MARTIAS. A. R. S. CIOCCCLVII  
DEBITA. PIETATE  
IN  
ALBERTINOFRIDERICIANO  
PRIVS. QVAM. INDE. IN. ACADEMIAS. DISCEDANT  
CELEBRATVROS. TRES  
BENEVOLE. AVDIENDI. CAVSA  
CVRIA. PROCERES. CIVES. Q.  
QVO. DECET. CVLTV. EAT. CONVOCATVM  
CVRIANI. RECTOR  
PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS  
A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS**

**CVRIA. REGNITIANAE  
LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII  
GYMN. TYP**